



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

Alberti Fryscheds De Polle In Effigies Episcoporum Mindensium Disticha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860



ALBERTI FRYSCHMEDS
DE POLLE
IN EFFIGIES
EPISCOPORUM MINDENSIUM
DISTICHA.

AVus meus *Arnoldus Frysched* in Rinteln, uti erat picturarum amator, ita ubique lustrabat eas. Cùm igitur nobiles & potentes Domini in vicina (num *Schaumburgicos* intelligit?) magnorum beneficiorum, quæ ab Episcopis *Mindsibus* acceperant, piè memores, memorias Eorum conservare, & posteris commendare vellent, omnes singulosq; depingi, inq; salletto suo majori secundum ordinem collocari jusserunt. Horum unicuique subjectum erat distichon memorabile, quæ avus decerpfit, mihiq; in schedis reliquit. Ne igitur perirent, denuò legibiliter descripsi. *Omnis enim antiquitas honoranda, utut parva, sordida, & abjecta videatur idiotis.* Polle anno Domini MCCCCXCVII. die S. Margarethæ.

I. HERIMBERTUS.

*Oravi atque laboravi, panemque comedi
in sudore meo. Principium omne grave est.*

II. HARTWARDUS.

*Plantavit pius Herimbertus, egoque rigavi,
incrementa Deus maxima cuique dedit.*

III. TIDERICUS I.

*Hinc ego sum factus Dit-ryck: amplissimum ovile
commoda, curas & gaudia multa facit.*

IV. WOLVARIUS.

*Agnum quando sequuntur oves, grex pinguior atque
major erit, procul hinc diffugiente lupo.*

V. DROGO.

*Quæ nunquam (miranda loquor) conceperat antè,
illa novem mihi nunc filiolas peperit.*

VI. ADALBERT.

*Dum potui, luxi, extinctus lucebo, nec umbræ
lucem hanc extinguent. Lux Deus ipse mihi.*

VII. BER-

VII. BERNARD.

*Si non in Domino vanus labor est, meus ergo
in Domino factus rancidus esse nequit.*

VIII. LIUDARIUS.

*Semper latravi, vigilavi ad limina templi,
nonne canis fidi munere functus ego?*

IX. EVERGISO.

*Omnia, quæ potui, feci: stat summa laboris;
servus inutilis & debitor omnis Ego.*

X. HELIMWERDUS.

*Sat mihi, dilecti, si quando nomen amœnum
à fera merear posteritate Patriis.*

XI. LANDEWARDUS.

*Primus ego tibi Minda dedi Regalia jura,
vive memor mortis, Casaris atque mei.*

XII. MILO.

*Milo miles erat, certavit, vicit, oravit,
nunc etenim in cœlis, Io triumphe! canit.*

XIII. RAMWARDUS.

*Multa tuli & feci, ut valeam contingere metam,
lex mihi, Rex mihi, pol! grex cynosura fuit.*

XIV. TIDERICUS II.

*Dexter eram in verbis, cunctis & dexter in actis,
nitor, Posteritas, dexteritate tuâ.*

XV. SIGEBERTUS.

*Quæ bona mens dederat, reddebat Fratribus ipse,
proximo enim, sibi non, natus in orbe fuit.*

XVI. BRUNO.

*Effigiem nostram si contemplabere, puro
pectore dic: Bruno in pace quiescat! amen.*

XVII. ENGELBERTUS.

*Exustam vidi Mindamq; readificatam:
sanavit, quæ nos percutit, una manus.*

XVIII. REINVVARTUS.

*Quàm purum mihi nomen erat! num vita, labores,
mens talis fuerit, candide, tute proba.*

XIX. FOLCKIMARUS.

*Disce meo exemplo vitasse Simonia tacta,
qui sumum fumo vendidit, ille perit.*

(H) 3

XX. UTHEL-

XX. OTHELRICUS.

*Omnia si dederint mihi nomina, luce Beati
quâ discessi, annon Eutyhianus ero?*

XXI. GODESCHALCUS.

*Fidus eram Domini servus, Godeschalcus, amabo,
in mundo numquæ gloria major erit?*

XXII. WITELO.

*Risi, cum Dominum me ex simplicitate vocarent,
communis patria Witelo servus erat.*

XXIII. SIGEWARTUS.

*Pacis amator, Segevvardus, pacis amator
mortuus in pace est. Nunc Segefredus erit.*

XXIV. HEINRICUS I.

*Sancto Mauricio me dat Bursfeldia, at ille
me Minda, Mindâ me expulit invidia.*

XXV. WERNERUS.

*Werner sit Warner: qui hortatur & audit, uterque
est bonus, ergo audi, tu sed, amice, mone.*

XXVI. HANNO.

*Quid spectas umbram? mentem vidisse iuvabit
virtutesq, Viri: Nam bonus Hanno fuit.*

XXVII. DETMARS

*Lauda Ditmarum, miraculis undique clarum,
puras hausit aquas optima vina bibens.*

XXVIII. HEINRICUS II.

*Henricus Sancta tu simplicitatis imago;
in capite est anguis: fronte columba sedet.*

XXIX. KUNRADUS I.

*Ut rota mota manet conformiter una eademq;
sic Kunradus erat sorte in utraque meus.*

XXX. WILHELMUS.

*Infula splendorem, fictum promisit honorem:
nunc in fine tonus; nil nisi prater onus.*

XXXI. JOANNES.

*Gratia, quam bellum dedit & memorabile nomen.
Totus Charisius, totus & Holdrick eras.*

XXXII. WE-

XX OTHEL-

XXXII. WEDIKINDUS I.

Et tibi praclarum fecit Sapientia nomen,
omnibus in factis hac cynosura fuit.

XXXIII. CUNO.

Cuno velut cuneus, diffindens pectora dura,
fecit opus Domini mente manūque sui.

XXXIV. OTTO I.

Ottonem licet in vertas, tamen Otto manebit;
clarius hoc dicas: ante retroque bonus.

XXXV. VOLCKWINUS.

Plebs clamat, Vinum: tu vinum oleumque dedisti
illi, caecus eras, & tamen Argus eras.

XXXVI. KUNRADUS II.

Illius an cum-rath, seu Komm-rath nomen, amabo;
nam cum consiliis fecit is omne bonis.

XXXVII. LUDOLPHUS.

Consilio atque operā quoniam tu quemque iuvabas,
Lientholf dictus eras. Sancta tibi, pie, pax!

XXXVIII. GODFRED.

Sit pax vobiscum merito nunc quisque precatur,
sed (durum verbum!) pax abijt illa Dei.

XXXIX. LUTHEVIGUS.

Ad te quod fugerint homines, non miror, egeni,
omni natus enim Liutvīg eras populo.

XL. GERHART I.

Tu non durus eras, durus, Gerharde, libenter,
nī duro nodo dandus erat cuneus.

XLI. TIDERICUS III.

Consiliis, animo, factis es denique magnus,
det nobis plures cella tui similes.

XLII. GERHART II.

Ille pio voto Christi spectare sepulcrum
dum studet, ecce in aquis invenit ipse suum.

XLIII. OTTO II.

Otto licet fuerit peregrino sanguine natus,
non tamen à nobis ille alienus erat.

XLIV. WEDI-